

*partium* : quâ nihil aliud innuitur , quàm actualis essentiæ corporis ex partibus pluribus compositæ *singularitas pluralis* juxta se mutuò constituta, qua corpus unum ex pluribus singularibus corpusculis certo modo concurrentibus , & juxta se sitis , actu constat. Et hæc ipsa denominatio Principii dici potest magis *absoluta* , qua corpus non extra , sed intra complexum sui , refertur ad partes omnes , ad omnia requisita , quatenus singula sub certis & singularibus , ad unum tamen & communem scopum conspirantibus , modis suis juxta se mutuò posita sigillatim præsentia concipiuntur : unde Principium hoc in actuali corpore *juxtalitas interna* , nempe partium inter se, dicitur : plerumque tamen *Localitas* aut *Collocalitas* , nimirum *interna* , dici solet, & sæpe *Locus internus* , qui nihil aliud est , quàm ipsum actuale corpus , quatenus ex partibus juxta se mutuò suo modo collocatis constat.

§. 3. Scilicet ut superius in statu signato per conceptum *formæ* seu *dispositionis internæ* , nempe partium inter se, tradebatur absoluta totius corporis denominatio distinctiva , sed sine connotatione actualitatis ; ita jam in exercito statu per conceptum *collocalitatis internæ* seu *juxtalitatis* , & præsentia singularium in corpore contentorum mutue , traditur absoluta corporis totius denominatio, sed cum actualitatis connotatione. Quæ non minùs ac illa totam essentiam sub certâ cognoscibilitatis ratione velut initiali seu principiariâ ( liceat ita loqui , cum inchoamentum tantùm sit non principalis cognitio ) refert, & illam instar Principii vel inchoamenti saltem obiter præcognoscendam subinfert; tribus præmissis principiis 1. *Materiæ* , 2. *Formæ* , 3. *Simultaneitati* , quartum superaddens , quod *juxtalitas* aut *collocalitas interna* dicitur. Quibus omnibus & singulis tota præliminariter concipitur essentia : duobus quidem prioribus *nuda* , nimirum *Essentia* 1. *Materialis* 2. *Formalis* , duobus posterioribus verò quasi *vestita* , realis & actualis , hoc est : *Existentiæ* 3. *Simultaneæ* 4. *juxtalitatis* & collocativa partium , queis corpus constat , omnium & singularum.

§. 4. Sed quemadmodum extra se cum sibi dissimilibus, vel potius adversus sibi dissimilia , collato corpore signatè spectato , superius pro conceptu *Formæ* substituebatur *Differentia Specifica*; &